ſculè vindicaturus. Annuitis, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi? imò annuitis; et utrumque mihi promere pollicem incipitis. Novi namque veſtram benevolentiam; novi in auſcultando promptitudinem ac facilitatem; novi in judicando æquitatem. Sed ut aliquantò major benevolentiæ veſtræ lux appareat, animum advertite, quæſo, meis ſalientibus aſpicite oculis, æquis mihi favete animis, vacivasque aurium ædes, ut benevolentiam veſtram re ipſâ declaretis, dicturo recludite. Liquidam ego belli eminentiam et ita quidem planam faciam: ut eum, qui pacis prærogativam tantopere in hac aſſeruit, ſententiæ ſuæ pœniteat, omnes cordati ſimul intelligant, quæ, qualis ac quanta belli præ pace ſit eminentia. Ubi verò incipiam? ubi deſinam? quid primo, quid ſecundo loco dicam? Placet, placet omnino, antequam ad ſententiam meam meridianâ luce, ſicut ſpero, clarius aſſerendam acceſſero, paucis prius ad ea, quæ adverſum hujus conſultationis ſuffragium, qui pro pacis gloriâ dixit, ~~[illegible]~~ nititur, reſpondere atque tum demum belli pacisque diſcrimen ſubjungere, ſimulac prærogativam belli non ſpecioſo vocum apparatu ſed firmis rationum momentis fulcire ac ſolidare. Sola pacis bona eſſe perpetua, belli autem temporaria, curioſe prærogativæ pacis Vindex dictitat. Tu verò ex animo ita ſentis? Vix fidem aliis facies. Quid enim? an neſcis, ut vires propter ſubditorum tranquillitatem conſervandam, et incertos adverſarios compeſcendos ſemper in paratu habeantur, omnino neceſſe eſſe? An neſcis, arma in manibus Principi ſemper eſſe habenda: ut ſi